



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

5. Qualis sit diuisio peccati in mortale, & veniale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

Obiectio hæreticorum refellitur.

putari parui momenti, quæ impedit executionem maximi præcepti charitatis, quo tenemur Deum semper tota mente amare. Respondeo; idem argumentum fieri potest de quolibet humano opere: non ergo tenemur illo præcepto semper occupari in actuali amore Dei, sed suo tempore & modo: habitualis vero Dei amor non repugnat esse cum peccatis venialibus quia hæc, ut dictum est, non sunt contrariæ amicitia. Aliter etiam obicitur contra vltimam conclusionem, nam per veniale peccatum constituit homo alium vltimum finem præter Deum, quia illud peccatum habet aliquem vltimum finem, & non Deum: ergo. Respondebit quis esse verum de fine operis, non vero operantis, ut diximus scilicet 1. Contra est: nam hoc ipso tollitur Deo tota ratio vltimi finis, sicut qui à prima causa aliquid eius vel minimum subtraheret, quod ab ipsa non fieret, totam rationem primæ causæ euerteret, ita etiam qui à fine vltimo aliquid subtrahit. Respondeo, licet is, qui venialiter peccat non referat peccatum suum in Deum, vltimum finem, non propterea virtute aut interpretatiue vult illum non esse vltimum finem. Ratio est, quia non ideo non refert, quia velle expressè, vel tacite indicet, aut velit Deum non esse illum, in quem bona omnia sunt referenda, sed solum quia non nihil circa creaturam immorari, non est autem de ratione vltimi finis, ut omnia quæcumque, & qualiacumque illa sint, siue bona, siue mala, in illum referantur, sed solum ea, quæ bona sunt: vnde qui peccatum veniale in Deum non refert, nihil Deo subtrahit, quia illud non est referibile in Deum, licet hoc ipsum (scilicet aliquid velle quod in Deum referibile non sit) aliquid malum sit, non tamen est grauis iniuria ipsius vltimi finis, & ad illud de prima causa agente patet eadem responsio, est enim de ratione talis causæ esse causam omnium bonorum, non tamen peccatorum, ut sic.

XII. Ad fundamentum hæreticorum in principio positum, respondeo in illis, & similibus sacre Scripturæ locis, sermonem esse de peccato tantum mortali, ut scilicet sequenti melius exponemus, ubi etiam satisfacimus illi fundamento contrariæ sententiæ.

SECTIO V.

Qualis sit ista diuisio peccati in veniale & mortale.

I. In hac quaestione multa includuntur, quæ ad duas reuocari possunt. Prima est, quomodo ista membra inter se differant. Secunda, quid sit id quod in ea diuiditur, & quomodo conueniat membris diuisentibus. In priori quaestione prima sententia affirmat peccatum veniale, & mortale accidentaliter differre, quia per se in aliqua specie malitiæ conuenire possunt, in qua differunt secundum maiorem, vel minorem grauitatem: ita multi Thomistæ opinantur propter doctrinam D. Thomæ 1.2. quæst. 7. art. 5. Secunda vero sententia affirmat, hæc duo membra differre essentialiter, quæ colligitur ex D. Thomæ 1.2. q. 7. art. 3. ad 1. & 2. & artic. 1. & 2. dum inquit, hæc esse analogicè peccatum, nam analogia non est inter ea quæ sunt eiusdem speciei. Idem quaestione tertia de malo articulo octauo, Bonauentura 2. dist. 42. articulo secundo, quaestione prima. Carthusian. 2. dist. 1. quaestione 5. Capreolus 48. & 49. Navar. in præludio 7. qui refert alios, tamen hæc res ex dictis facile potest expediri.

In hac quaestione multa includuntur, quæ ad duas reuocari possunt. Prima est, quomodo ista membra inter se differant. Secunda, quid sit id quod in ea diuiditur, & quomodo conueniat membris diuisentibus. In priori quaestione prima sententia affirmat peccatum veniale, & mortale accidentaliter differre, quia per se in aliqua specie malitiæ conuenire possunt, in qua differunt secundum maiorem, vel minorem grauitatem: ita multi Thomistæ opinantur propter doctrinam D. Thomæ 1.2. quæst. 7. art. 5. Secunda vero sententia affirmat, hæc duo membra differre essentialiter, quæ colligitur ex D. Thomæ 1.2. q. 7. art. 3. ad 1. & 2. & artic. 1. & 2. dum inquit, hæc esse analogicè peccatum, nam analogia non est inter ea quæ sunt eiusdem speciei. Idem quaestione tertia de malo articulo octauo, Bonauentura 2. dist. 42. articulo secundo, quaestione prima. Carthusian. 2. dist. 1. quaestione 5. Capreolus 48. & 49. Navar. in præludio 7. qui refert alios, tamen hæc res ex dictis facile potest expediri.

Prima propositio. Peccatum mortale de se, & ut tale est, habet aliquam deordinationem speciei distinctam ab omni ea, quæ est in peccato veniali. Probat, nam illa prauitas, quæ est directe contraria ipsi vltimo fini, ratione cuius homo auertitur ab ipso, & conuertitur ad creaturam ut ad vltimum finem, est propria species deordinationis, & prauitatis mortalis, & hæc non potest reperiri in peccato veniali, ut etiam ostensum est, & in hoc sensu vera est secunda sententia.

II. Propositio

Secunda propositio. Malitia, & deordinatio mortalis, quæ sumitur ex obiecto proximo, esse potest eiusdem speciei in peccato mortali, & veniali, ita intelligendus est D. Thomas citatus, & conciliari potest, nam patet conclusio in furto graui & leui: si enim considerentur quatenus habent malitiam iniustitiæ, conueniunt in specie, habent enim idem obiectum, solumque differunt in quantitate materiæ, quæ est accidentalibus circumstantiis. Confirmatur, nam ab eodem vitio secundum eandem propensionem fiunt, & hoc modo dicunt etiam Theologi circumstantiam, & si non mutet speciem, posse interdum mutare actum de veniali in mortale, quatenus ratione circumstantiæ fit, ut ea malitia in propria specie sit grauior, ex quo consequitur altera deordinatio.

III. Propositio

Dicit quis: Quomodo potest fieri, ut malitiæ conversiones sint eiusdem speciei, & tamen propter solam accidentalem grauitatem ex vno sequatur illa grauisima deformitas, quæ est in peccato mortali, & non ex alia, nam ex eadem essentia eadem proprietates sequuntur. Respondeo quantitatem, v. g. materiæ circa quam, vel aliam similem circumstantiam posse efficere, ut secundum rectam prudentiam ea res existimetur medium necessarium ad conseruandam charitatem Dei, vel proximi, & non in minori quantitate, & ideo solum augmētum in huiusmodi circumstantia posse esse sufficiens ad contrahendam deordinationem mortalem, neque enim ista deordinatio auersionis sequitur ex illa malitia conuersionis tanquam proprietate essentia, sed quasi concomitatur illam, quia est virtualiter voluntaria. Sed contra, ergo odium Dei, quod

IV. Dubium.

est veniale ex indeliberatione actus, habet malitiam mortalem eiusdem speciei cum odio, quod est peccatum mortale, nam illi actus habet idem obiectum, & differunt sicut furum graue, & leue. Respondeo primò, licet in aliqua malitia conueniunt, tamen in odio deliberato semper est aliqua deordinatio in qua differunt, quia scilicet illud odium perfectum est conuersio virtualis ad creaturam, ut ad vltimum finem, & perfecta, & quasi formalis auersio à Deo, quæ non conueniunt odio indeliberato. Secundo potest negari consequentia, quia actus indeliberatus in genere moris quasi differt genere ab actu perfectè humano, & ideo omnis malitia, quæ in tali actu fundatur, est quasi genere diuersa, quod aperte docuit D. Thomas 1.2. quæst. 88. art. 6. vbi Caietanus multum laborat, tamē res non videtur difficilis, quia cum istæ deordinationes, aut malitiæ sint morales priuationes, ut diximus, & priuatio respiciat subiectum, & capacitatem eius variatam subiecti capacitare, (ut variatur in actu deliberato, & indeliberato) variatur etiam ratio priuationis, quod bene indicauit Durandus 2. d. 42. quæst. 6. & iuxta hanc doctrinam secunda conclusio solum habet locum in actibus perfectè humanis, & deliberatis.

Instantia

Iam circa secundam partem huius sectionis variæ sunt etiam sententiæ: prima dicit istam diuisio-

V.

1. Opinio de qualitate diuisionis peccati in mortale & veniale.

uisionem esse subiecti in accidentia, quia illa deformitas mortalis peccati, veluti accidit actui morali: & tamen non negat hæc sententia mortale, & veniale realiter & specie differre, sicut lucidum, & tenebrosum formaliter specie differunt, licet diaphanum diuidatur in illa duo membra tanquam subiectum in accidentia. Sic ergo mortale, & veniale ad actum malum morale comparantur, quatenus ille constitutus est in prima sua specie malitiæ: quod ex dictis probatur, quia illa deformitas, quæ constituit peccatum mortale, est quasi indirecte volita, & secundario, & potest adesse & abesse manente eadem specie malitiæ, vt magis ex infra dicendis constabit.

VI. Refertur hac opinio & confertur 2. opinio.

At enim non solum isto modo diuiditur actus moralis, vt malus est, in peccatum veniale, & mortale, sed etiam formaliter peccatum, vt peccatum est, nam hoc modo videtur peccatum veniale, & mortale in aliqua communi ratione conuenire. Et hoc modo est secunda sententia quæ affirmat hic diuidi quandam communem rationem peccati, quæ vniuoce dicitur de peccato mortali, & veniali: ita Durandus supra. Et probatur, quia in sacra Scriptura nomine peccati absolute dicti, comprehenditur veniale, Ioannis 20. Quorum remisistis peccata. Item 1. Ioan. 1. Si diximus, quia peccatum non habemus. & eodem modo de consecratione d. 3. dicitur simpliciter aquam benedictam remittere peccata, & Sancti & Concilia deniunt nullum hominem sine specialissimo privilegio carere peccato actuali, item Augustinus lib. de mendacio, & contra mendacium, absolute docet omne mendacium esse peccatum, & tamen illud esse veniale tantum ex suo genere. Ratione etiam probatur. Peccatum veniale est simpliciter actus malus, & rationi deformis: ergo simpliciter peccatum. Patet consequentia, nam omnis actus bonus eo quod est bonus, eo ipso est rectus: ergo omnis actus malus hoc ipso, quod malus, est obliquus, & hoc est esse peccatum. Confirmatur, nam pena respondet culpæ, & peccato, sed pena peccati venialis est simpliciter pena: ergo illud est simpliciter peccatum.

VII. 3. Opinio. Refertur 1.

Tertia sententia negat veniale peccatum esse simpliciter peccatum: & consequenter affirmat diuisionem esse analogicam. tenet D. Thomas supra, & Caietan. & alii in 2. dist. 42. & Vega 14. in Tridentinum cap. 13. admittit diuisionem esse analogicam, & tamen veniale peccatum esse omnino simpliciter. Probatum ista sententia primo, quia sacra Scriptura nomine peccati simpliciter dicti frequentius intelligit tantum mortale. Ezechielis 18. Anima que peccauerit, ipsa morietur. circa quem locum videatur Augustinus 6. contra Iulian. cap. 45. Item ad Romanos 6. per totum, Ioan. 3. Qui in eo manent, non peccant: & Iacobi 2. & Matth. 5. & Deuteron. 26. in quibus locis sermonem esse de solo peccato mortali constat, tum ex pena quæ apponitur, & exemplis, quæ in illis locis subiunguntur, & ex ipso contextu, & intentione.

VIII. 2. Refertur.

Ratione quoque probatur, quia, vt in initio huius tractationis diximus, ratio peccati sumitur ex deordinatione circa vltimum finem: hæc autem deordinatio proprie, & per se reperitur in mortali, in veniali vero tantum secundum quid, quia non per propriam, & specialem prauitatem, sed generali quadam ratione. Confirmatur, quia veniale peccatum de se est quasi deordinatio circa medium: circa finem vero, non nisi consecutione quadam mortale vero directè importat deordinationem circa finem. Hæc tamen controuersia magis ad modum loquendi,

quam ad rem ipsam spectat, & ideo si rem tantum metaphysice consideremus, reuera hic non apparet analogia, quia veniale peccatum in se habet, quasi in hæretem sibi quendam defectum debiti ordinis circa vltimum finem, & ab illo potest denominari absque vilo ordine ad peccatum mortale: vbi vero non est respectus vnius ad alterum, non est proprie analogia: tamen, loquendo moraliter, & Theologicè, dicitur hæc denominatio analogica & secundum quid, quia in moralibus, quod adeo leue est, quasi nihil reputatur: item quia hæc deordinatio venialis peccati maximè ponderatur in moralibus quatenus est dispositio ad mortale: tum demum quia peccatum veniale non denominatur tale solum, quia caret illo debito ordine ad vltimum finem, sed etiam quia caret illa propria deformitate peccati mortalis, & hoc modo in tali denominatione habet semper respectum ad mortale peccatum. Quocirca in sacra Scriptura raro nomine peccati simpliciter dicti, comprehenditur veniale: & quando id contingit, ideo est, quia ex adiunctis, vel qualitate materiæ facile intelligi potest de qua re sit sermo, sicut etiam nonnunquam pena vocatur simpliciter peccatum ad Romanos 7. per totum. 2. ad Corinth. 5. Pro nobis peccatum fecit, &c. cum tamen proprie non sit peccatum, quod ex adiunctis constare potest.

Primum dubium ex dictis desinitur.

IX. Veniale an sit contra legem.

Ex decisione huius difficultatis facile potest alia similis defini, videlicet: An veniale peccatum sit contra legem, necne: nam quidam simpliciter affirmant, sic Durandus supra, & Vega Adrian. quodlibeto 6. articulo secundo, Castro lib. 1. de lege penali capite quinto, & Nauarr. preludeo sexto, num. 17. Alij simpliciter negant, & volunt tantum esse contra consilium. Scot. in 1. dist. 21. Gabr. d. 22. sed non recte loquuntur, quia consilium nullam inducit obligationem, & ideo agere contra consilium per se non est malum, alias non seruare virginitatem esset malum, contra Paulum. Aliorum sententia dicit non esse contra, sed præter præceptum. Alia deniq; sententia distinguit præcepta maiora, & minora, iuxta illud, Qui soluerit vnum de mandatis istis, & dicit veniale peccatum esse contra præcepta minora: ita ait Lacomus contra Lutherum.

X. Propositio.

Prima propositio. Peccatum veniale aliquo modo est contra præceptum. Probatum, quia est contra dictamen rectæ rationis, item quia vbi non est lex, ibi neque malitia, ad Romanos 3. Item aliqua lex prohibet mendacium, Leuit. 19. Non mentiemini, & Eccles. 17. Noli velle mentiri, &c. ergo mendacium licet sit ex suo genere veniale, tamen est contra legem.

XI. 2. Propositio.

Secunda propositio. Moraliter loquendo veniale peccatum non censetur contra legem, nisi secundum quid. Colligitur assertio ex Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: & qui venialiter tantum peccat, ad vitam ingredietur, seruat ergo mandata. Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. diligit autem, licet peccet venialiter: vnde Luca 1. dicitur de Elizabeth & Zacharia, incedentes in mandatis Domini sine querela: qui tamen sine dubio venialiter peccauerant: & tandem omnis iustus dicitur legis seruator, ad Romanos 3. Respondet Vega illud esse, non quia veniale peccatum non sit contra legem, sed quia cum sit minima quædam transgressio, non denominatur eum, qui præcipua obseruat mandata: sicut minimus calor non de-

VENIALE  
PECCATUM  
SIT CONTRA  
LEGEN.

nominat subiectum in quo est, proprie calidum. Sed contra, quia non solum subiectum, sed etiam actio non dicitur in sacra Scriptura prauaricatio legis: deinde iustus non solum precipua, sed etiam omnia praecepta obseruat: ergo nullum transgreditur proprie, licet venialiter peccet.

XII. Secunda ratio reddi potest pro eadem assertionem, primo ex morali existimatione, vt scilicet *precedenti*. Secundo, quia adimpletio legis est charitas, *Matthaei 22.* Vnde primum praeceptum est praeceptum charitatis: reliqua vero in tantum habent rationem praecepti, in quantum illo nituntur, iuxta illud *Matthaei 22. Vniuersa lex pendet. & Prophetae*: quare licet praecepta reliqua sint distincta in se à charitate, tamen id, quod charitati contrarium non est, nulli praecepto censetur esse perfectè contrarium: veniale autem peccatum est tantum praeceptum charitatem, id est, secundum quid contra illam. Tertio. In peccatis venialibus ex indeliberatione ratio reddi potest, quia lex non imponitur nisi ratione intentionis: actus autem indeliberatus non simpliciter, sed secundum quid est rationalis, & humanus, & ideo non simpliciter, sed secundum quid, est transgressio legis. In aliis vero peccatis venialibus ex leuitate materiae, ratio potest sumi ex fine, est enim praeceptum regula quadam praescribens medium, quo perueniendum est ad finem; & ideo solum illud dicitur simpliciter praeceptum, quod est simpliciter, & absolute necessarium ad finem consequendum: huiusmodi autem praeceptum non frangitur nisi per peccatum mortale, quod bene docuit Bernardus libro de praecepto, & dispensatione.

XIII. Et ad hanc ferè sententiam accommodari possunt aliae in *num. 9.* relatae: Scotus enim late vsus est nomine consilij, vt comprehendit omnia, quae ad salutem non sunt simpliciter necessaria: cum tamen consilium proprie non ita late pateat, sed directionem solum significet ad ea, quae meliora sunt eligenda, vt patet *1. ad Corinth. 7.* Eodem etiam ferè sensu distinguit Lacomus praecepta maiora à minoribus, licet non semper peccatum veniale, & mortale aduersentur diuersis praeceptis, vt patet in incestu graui, & leui: interdum vero contingit legem aliquam solum prohibere venialia, quae merito dici potest solum esse praeceptum secundum quid, & veluti quoddam medium inter praeceptum, & consilium.

## Dubium 2.

XIV. Secundo definitur ex dictis aliud dubium. An veniale an sit offensa Dei. *Supra* simpliciter negat, quia hoc peccato non praefertur creatura Deo. Alij simpliciter affirmant, vt Vega *supra*, cui fauet illud Iacobi *2. in multis offendimus omnes*, quod de peccatis venialibus intelligitur. Dicendum tamen est primo sicut in precedentibus. Primo hoc peccatum aliquo modo esse offensionem Dei. Patet primo, quia aliquam deordinationem continet in ordine ad vltimum finem, alius non esset villo modo peccatum. Secundo, Deus omne peccatum etiam veniale odio habet, quia aliquo modo pugnat cum eius bonitate infinita. Tertio, tale peccatum est contra legem aliquo modo, ac praeter Dei voluntatem, & propter hæc Sancti exaggerant quodecumque veniale peccatum. vide Vegam *supra* cap. 16. & hoc praecipue verum habet in quibusdam peccatis venialibus, quae non solum respiciunt Deum, vt finem vlti-

um, sed etiam, vt obiectum, & praecipue si deliberatè fiant vt verbum otiosum, mendacium, vel alia transgressio legis, vel voti in leui materia.

Secundo addendum est, non simpliciter, neque proprie veniale peccatum esse offensionem, vel iniuriam Dei, sed tantum secundum quid, & analogicè. Et in primis si fit actus indeliberatus, id constat, quia offensio, vel iniuria proprie non fit sine actu humano: at vero illa non est simpliciter actus humanus. Deinde si veniale sit quod ad Deum non pertinet, non est alia ratione offensa Dei, quia peccatum mortale non est, neque ex hac offensione contrahit propriam speciem malitiae, & ideo quasi materialiter potius quam formaliter est Dei offensio. Tandem si malitia ipsa venialis peccati versetur proxime circa Deum, & non versetur circa illum formaliter, vt vltimus finis est, adeo est leuis, vt nihil fere censetur ad Dei honorem pertinere secundum moralem existimationem.

## Dubium 3.

Tertio definitur aliud dubium, an in peccato veniali sit infinita malitia? Et dico breuiter primo non esse in peccato veniali illud genus malitiae infinitae, quod est in peccato mortali. Hoc patet ex dictis, quia in peccato veniali non reperitur illa malitia: ergo neque infinitas eius.

Secundo dico malitiam peccati venialis non posse proprie, & simpliciter dici infinitam, nam maxime talis diceretur ex deordinatione circa Deum, sed propter hoc non: quia illa deordinatio non confert specialem grauitatem formalem, sicut neque è contra actus bonus, licet natura sua rectus sit in ordine ad vltimum finem, quae tamen intelligenda sunt de peccato veniali, quod non versatur circa Deum proprie. Nam ea peccata venialia, quae versantur circa Deum, vt obiectum, quendam modum infinitatis habent: ex illo obiecto tamen secundum quid, & imperfectè.

Tertio dicendum veniale hoc ipso, quod malum culpa est, posse dici continere aliquo modo quandam infinitatem secundum quid, quantum vnus veniale peccatum maius malum est, quam omnis poena, id est, altioris cuiusdam ordinis: vnde propter nullam vitandam poenam committendum est. Et hac etiam ratione veniale peccatum tanta est malitiae, vt quamdiu in anima habetur, conspectum Dei impediatur, licet simpliciter non impediatur, quia, per se loquendo, auferri potest, quomodo intelligitur illud *Apocalyp. 21. Nihil conquinatum introibit in eam*, licet aliqui illud intelligant de peccato mortali, & eodem modo intelligunt Origenes, & Bernardus de *Cena Domini*, illud *Ioan. 13. Si non laueris te*, quod ipsi de peccato veniali intelligunt: Basilium autem *lib. 1. de Baptismo cap. 2.* intelligit de peccato mortali, quod Petrus committeret: si Christus obedire recusasset.

## Dubium 4.

Quarto colligitur: quibus signis, vel regulis interdum nobis discernendum sit peccatum mortale à veniali, de qua re vide Richardum *supra*, & Vegam *capite duodecimo*, Nauarrum *practico* 9. Dico primo aduertendam esse vim, & obligationem praecepti, ex qua maximè pendet turpitudine peccati. Et quidem si praeceptum aliquo modo continetur in sacra Scriptura, ponderan-

deranda sunt illius verba, nam cum inquit aliquando actionem esse dignam morte, aut excludere a regno, aut esse execrandam, & abominabilem, vel similia, satis indicat esse prohibitam sub mortali. ad Romanos 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte.* ad Galat. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* ad Ephesios 5. *Ezechiel. 18.* Cum vero videtur sacra Scriptura mitioribus verbis, signum est esse venialia, & cum stultiloquio, & scurrilitate Paulus supra loquens solum dicit ad rem non pertinere, & Iacobus docet peccatum non consummaturum non generare mortem, & hoc idem considerandum est in præceptis iure humano latis. Nam primo est advertendum, an ipsa verba sint ex his, quæ habent vim obligandi, ex quibus etiam colligenda est intentio legislatoris. Consideranda est etiam poena qua sancitur lex, &c. Quod si nullum sit scriptum, aut præceptum quod hic, & nunc vere obliget, neque consuetudo, vel traditio, quæ illi æquipolleat, ratione naturali est vitandum, nam hæc discernimus bonum à malo, & consequenter gravius à leuiori, & tandem in ferendo hoc iudicio de peccato veniali, vel mortali, adhibenda est sententia Doctorum, & Patrum in hac materia, quia in re morali plurimum valet autoritas.

XX. Secundo dicitur. Quando nulla est lex, aut sacra Scriptura, ex qua satis colligatur, an sit peccatum mortale, & consideranda est res in qua peccatum versatur, an ad Dei, vel proximi charitatem seruandam spectet, & grauis sit: nam finis præcepti charitatis est, 1. ad Timothei. nam ex hoc sine recte colligitur peccati grauitas. Item advertendum est, an aliqua virtus ex his, quæ homini maxime necessariae sunt, grauitèr datur illo actu, ita D. Thomas 1. 2. *questione octingentesimo octauo, articulo secundo.* Durandus 2. *dist. 42. questione sexta.* Quod autem dicimus de charitate proximi, intelligendum est de charitate propria, maximè si peccatum afferat peccati aliquid nocuum, vel in spiritualibus bonis, vel in his, quæ ad conseruationem corporis necessaria sunt: nam in aliis fortunæ bonis facilius potest homo cedere iuri suo; quod si ex omnibus modis positus non inuenitur præceptum obligans ad mortale, licet sit aliqua deformitas, culpa erit venialis; & hinc sumitur primum genus peccati venialis, quod dicitur ex genere suo; & est illud, cuius malitia ex obiecto desumpta, ita est natura sua leuis, vt per se prohibita non sit graui præcepto, vt *sectione sequenti* constabit.

XXI. Tertio dicitur. Si præceptum obligat sub mortali, vterius consideranda est materia, quia licet præceptum ipsum graue sit, tamen leuiter ab illo desistere perinde est, atque leue præceptum transgredi, & hoc est secundum genus peccati venialis, quod dicitur ex leuitate materiæ, quare cum in Scriptura sacra peccata aliqua tanquam mortalia damnantur, intelligendum est ex genere non in omnibus indiuis: quæ autem sit materia leuis, vel grauis, prudenter pro qualitate rei, vel materiæ pensandum est. Advertendum est, id non solum pendere ex qualitate, vel quantitate materiæ absolute considerata, licet id plurimum conferat, sed etiam ex cæteris circumstantiis, præsertim ex conditione personæ fieri potest vt hæc materia in ordine ad furtum, vel iniuriam talis personæ, sit grauis, quæ per se considerata censereur leuis.

XXII. Quarto si materia, & præceptum graui sint, considerandum est, vtum consensus hominis

fuerit perfectus, & deliberatus, nam hoc necessarium est ad perfectum actum humanum, qualis debet esse peccatum mortale, & hinc oritur tertium genus peccati venialis, quod dicitur ex indeliberatione, & imperfectione, quod difficile cognosci potest, quando alia adfunt, quæ ad mortale peccatum sufficiunt: dicimus tamen de hac re in sequentibus. Aduerte quosdam Thomistas putasse hoc genus peccati venialis tantum contingere in rebus aliis grauib, sed non ita est. Nam in rebus etiam ex genere suo venialibus, & ex leuitate materiæ potest contingere peccatum veniale ex indeliberatione, & in mendacio & similibus, quod satis indicat Caietanus *quest. 89. artic. 8.* & ratio est, quia in his actibus est sufficiens libertas ad peccandum venialiter: ergo licet obiectum sit leue, actus tamen habet aliquam malitiam.

3. Genus peccati venialis

SECTIO VI.

An peccatum veniale possit fieri mortale.

D. Thomas 1. 2. *quest. 88.* quatuor vltimis articulis tractat hanc questionem. Potest autem habere tres sensus, primus est, vtum veniale propter multiplicationem efficiat mortale? Secundus, an actus, qui est ex specie sua venialis, ex accidenti possit esse peccatum mortale, vel contra. Tertius, an idem actus numero possit esse veniale peccatum, & mortale simul, vel successiuè.

Prima propositio pro primo sensu. Peccatum veniale non sit mortale propter solius actus multiplicationem, vnde neque multa venialia æquivalent mortali. Est certa, & communis. Ratio est, quia veniale, & mortale differunt genere, & non solum tanquam magis, & minus graue in eadem specie: ergo, &c. Confirmatur primo, quia per multa etiam venialia non constituitur finis vltimus in creatura. Confirmatur secundo, quia eodem præcepto prohibentur decem mendacia, quæ vnium: sed totum illud præceptum non est de re ad salutem necessaria: ergo transgressio eius, siue vna, siue multiplex, non est mortalis; quæ ratio solum procedit in venialibus ex genere. Confirmatur tertio, quia nullus numerus venialium signari certa ratione potest, qui sufficiens sit ad mortale constituendum: ergo si aliquis numerus nobis ignotus esset sufficiens, in quocumque peccato veniali exponeremus nos periculo peccandi mortaliter, & hoc ipso mortaliter peccaremus. Dices eodem argumento probaretur quodlibet veniale ratione periculi esse mortale, quia disponit ad mortale. Respondeo non esse simile, quia licet veniale sit dispositio, tamen est remota, quæ per se non est moralis occasio peccandi; vnde si solus numerus peccatorum venialium constitueret mortale, de quocumque veniali esset timendum, an expleret illum numerum. Tandem confirmatur ex illo *Prot. rb. 24. Septies in die cadit iustus*, vbi numerus certus pro incerto ponitur, & tamen tribuitur iusto.

Contra hanc veritatem docuit glossa *cap. tria sunt, de penitentia, dist. 1.* propter verba Augustini *epistola centesima sexta ad Iulianum*, vbi de venialibus loquens ait, *si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, sicut vnium grande peccatum.* Tamen pie exponenda sunt ista, videlicet posse multa peccata venialia ita nocere dispositiuè, quia sunt

occa-

V. propositio

VI. veniale

VII. propositio

VIII. propositio

XIX. e signis